

DISSE<sup>NT</sup>TATI<sup>O</sup> ACADEMICA,

DE:

RUBORIS MUSCULORUM PRETIO, VA-  
RIO HABITU, SEDE & ORIGINE.

---

QUAM:

CONSENSU EXPERIENT. FACULT. MEDIC. ABOËNS.

BRÆSIDE.

GABRIELE BONSDORFF,

Philos. & Medic. Doct. Anat. Chir. & Art. Veter. Prof.  
Reg. & Ordin. Facult. Medic. h. a. Decan.

PRO SUMMIS IN MEDICINA HONORIBUS.

*publicæ censuræ submittit*

ADOLPHUS REGINALDUS BOUCHT

*Stip. Haartmannianus, Tavastensis.*

In Audit. Mathematico die VII Junii MDCCCVI.

h. a. & p. m. l.

---

ABOÆ,

Typis FRENCKELLIANIS.

VIRO AMPLISSIMO ATQUE EXPERIENTISSIMO,

AD REGIAM ACADEMIAM AURAICAM

ANATOMIÆ ET CHIRURGIÆ PROFESSORE  
CELEBERRIMO,

DOMINO

GABRIELI BONSDORFF,

PATRONO PRÆSIDIQUE PROPENSISSIMO,

*Beneficia, quibus se æternum obstrinxit, solvere impotens, grata  
mentis, quale potuit, offert documentum*

Nominis

Cultor Humillimus

ADOLPHUS REGINALDUS BOUCHT.

DISSERTATIO ACADEMICA,

DE

*RUBORIS MUSCULORUM PRETIO, VARIO  
HABITU, SEDE, & ORIGINE.*

---

*Prooemium.*

In universo Naturæ Theatro, admirabilem prorsus, ad augendum rerum ornatum atque splendorem, colorum occurrere luxum & delectum; purpureum vero illum, venustate sua & præstantia, oculos nostros & attentionem in primis rapere, quemque facile nobis daturum fore confidimus. Rutilat ignitis radiis ipse colorum omnium effector Sol; purpurascit fugatis tenebris oboriens & quiescentem naturam resuscitans Aurora; rubescunt coeli meteora maxime iracunda; rubent telluris nostri thesauri pretiosissimi & naturæ opificia formosissima; rubent nobilissimi animalium succi & interna instrumenta dignissima; immo in humana machina, vitæ, sanitatis, ingenuitatis & venustatis rubent indices & imagines: adeo ut singularem perfectionem & dignitatem in tota natura involvere & redarguere videatur rubicundus rerum habitus. De Rubore igitur Musculturum corporis

A

ris

ris humani, pauca, Speciminis Academicis loco, disserere nobis cogitantibus, in priori opellæ nostræ Sectione, Ruborem Naturalem in genere, in altera vero, variam indolem, sedem & originem purpurei coloris Musculorum, considerabimus.

---

## SECTIO PRIOR.

### *De Rubicundo rerum naturæ & præsertim partium Animalium habitu, generalis commemoratione.*

#### §. I.

**I**n confesso cum sit, e terræ gremio per abditas ambages provenire singula, quæ vita organica fruuntur, naturæ artificia & decora, nec solum ultima eorum immutabilia elementa, scienter investigata, maternam sapere, a particulis terrestribus, metallicis & salinis mirabiliter subactam, originem, verum etiam cunctis rebus organice constructis communem esse fortem, ut peracta virtus fabula in cineres & primitiva stamina solutæ redeant; facile est ad intelligendum, naturam in Regno sic dicto *Minerali*, utpote aliorum elementorum, ita atomorum, qui corporibus rubicundum inducunt colorem, genuina eademque perpetuo staminum circulo resarcienda officina & patrio somite, non potuisse non purpurei splendoris exhibere speciosissima documenta. Testantur hoc, ut nobilio-  
ra tantum & maxime egregia citemus exempla, pretiosissimæ gemmæ: *Rubinus*, *Carneolus*, *Opalus ignitus*, *Sardonyx*, *Turmalinus*, *Granatus pellucidus*, *Hyacinthus*; ex metallis: rutilans *Aurum*, *Arsenicalis Argenti minera rubra*, *Cinna-  
barinum liquidi argenti genus &c.*; & præter innumeratas ma-

gis

gis vulgares Terras, Lapides in primis *Calcarei* & *Silicet*, metallorumque potissimum oxyda: in quibus omnibus diversos ruboris constanter offendimus gradus. Rubicundum autem terrae lapidumque, & in his clarissimarum Crystallorum, habitum, subtilissimis particulis ferreis, in lapideam substantiam intime effusis, originem suam ut plurimum debere, petitissimorum Chemicorum testantur experimenta.

## §. II.

Ad organica vero naturae miracula, & quidem primo *Plantarum* coronam quod attinet, in iis non uno tantum nomine celebrandam obliuare licet ruboris dignitatem & præstantiam. Præterquam enim quod in campis & hortis favissimum animo & oculis pastum & oblectationem concilient flores purpurei, ex. gr. *Hæmanthus*, & quæ florum regina & plantarum gloria jure salutatur *Amaryllis*, *Bacoferi Rubi* &, pro terræ ornamento, vegetabilium decorum & corollarum oculo antiquitus jam habitæ *Rosæ*, succosa *Mesembryanthema* & aridæ aëternumque floridæ *Gomphrenæ* & *Xeranthema*, pulcherrima *Gerania*, *Malvæ*, *Lavateræ*, *Hibisci*, *Cæti grandiflori* & toti quanti quasi cruentati *Amarantbi*, innumeraque aliae puniceis vel roseis, quibus superbunt, corollis redimitæ, coronariæ præfertim, plantæ; varium in communia vita, succis suis & ceteris partibus rubicundis usum nobis præstant herbe & arbores. Incomparabiles scil. delicias & sapidissimas dapes pariter atque generosa vina, *Baccharum*, *Droparum*, aliorumque fructuum genera permulta, vix prius quam maturitatem attigerunt rubicunda, nobis afferunt. Præstantissima & sapissime heroica Arti Medicæ suppeditant remedia; quo quidem pertinent: rutilantes radices *gentianæ*, *Rhei*, *Tomentillæ*, &c. cortices subrubicundi *Cinchonæ*, *Cascarillæ*, *Cinamomi*, *Simarubæ* &c. succi expressi & insipisci item rubidi *Aloes*, *Opii* e *Papavere*, *Sanguinis* sic dicti

*Draconis e Calamo Rotang, Succi Japonici e Mimosa Catechu &c. resinæ nativæ tangvinei coloris, e rimis arborum sponte existillantes Pterocarpi Santalini, Dalbergia Monestariæ, variarum Crotonis specierum & plurimarum Indicarum arborum, varia Balsama & Gummata rubicunda optimæ notæ lacrymarum modo e cortice effundentium. Egregia & fabris lignariis desideratissima ligna, duritie, densitate & nitore rubente conspicua exhibent Hæmatoxylon Campechiense, Swietenia Mahagoni, Mesua ferrea &c. Immo celebratissimas tintoriaris materias, quibus puniceum colorem linteis, lancis, bombycinis & sericeis pannis inducere possumus, subministrant: radices Rubiæ, Alperule, Anchusæ, Tormentillæ, Commari &c.: ligna Cæsalpinia & rasuræ Fernambuci &c.: cortices Alni, Rbois &c.: flores Carthami, Croci &c.: baccæ Empetri: semina Bixa & plures Liebenes, Parellus scil. Roccella, Tartareus &c. Quæ quidem omnia abunde docent, elementa rubri coloris, plantis in intimos succos a natali sine dubio solo esse ingesta, & ad aëgendas earumdem virtutes (adstringentem in primis & corroborantem) mirum quantum convenientia.*

### §. III.

In *Animali* vero naturæ Regno, omnium evidentissimam rubri pigmenti ad diversam strueturæ internæ perfectionem perspicimus relationem & quasi mutuum respectum, ita ut, quo perfectiora sint & eminentioribus dotibus ornata, eo intimiori & floridiori purpuræ colore imbuta videantur animalia. Per rara igitur nativi huius splendoris, in simplicissimo & nihilo tamen minus infinite multiformi Vermium agmine, utpote fere communiter, exsangibus & frigidam tantum saniem vehentibus, gelatinosasque & intus decolores pulpas, in quibus aëreos & nerveos meatus haudquam distingvere licet, soventibus, occurunt vestigia; quasi festivo ornata eam ob causam orbata esent animalcula hujus familiæ, quod abstrusa

sa & a publica luce remota illis sit in abysso & voraginosis terræ latebris commoratio a natura designata. Memorabilem tamen a communi Vermium fanofo habitu exceptionem, omnium primo in *Lumbricis*, & *Hirudinibus* & nuperrime in omnibus *vermibus Articulatis*, quæ ad *Intestinorum* ordinem ton pertinent, ex. gr. genere *Nais*, *Nereis*, *Approditæ*, *Amphionomes*, *Terebellæ*, *Amphitrites*, *Serpulæ*, detexit Celebris Anatomiae Comparatæ Auctor CUVIER, qui fidissimis & multoties repetitis Observationibus demonstravit, hisce animalculis proprium vasorum, tam arteriosorum quam venosorum, sistema competere, in quo succus rubicundus, Ranae sangini simillimus, verum absolvit (motu vasorum systolico & diastolico conspicuum) circulum, ramulis haud contemnendis ad branchias & cutem, aërem imbibendi gratia traductis (a). Ceteras vero adeo abditas aquarum & cavernarum terrestrium incolas quod attinet, neque illas prorsus neglexit Natura munifica; Aliis nempe succos indidit phosphoreos, ingnicolorum initar in tenebris translucentes; aliis, licet rarissimis, *Molluscis* scil. *Testaceis* e genere *Muricis* & *Turbinis*, atque, si PLINIO fides habenda, *Mytili* genere, ruberrimum, proprio folliculo in faucibus animalculi inclusum, ingenuit liquorem, quem in littore Tyro, Getulo & Laconico olim e vivis conchyliis magno studio captis collectum (b) &, Purpuræ s. floris Purpuræ nomine, propter egregiam tingendi virtutem & summam raritatem, ingenti pretio a Punicis quondam Optimatibus & præcipue Romanis Principibus, ad colorandas purpuras eorum dibaphas & solemnes tra-

a) Egregias hasce & prorsus singulares Cel. CUVIER Observations, sparsim invenimus in Vorlesungen über vergleichende Anatomie, von FISCHER I B. Braunschv. 1801. — in Archiv für die Physiologie von REIT. 4 B. 3. B. p. 436. — immo in Intellig. Blatt der Algem. Litt. Zeit. 1802. N:o 109.

b) PLINII Histor. Natur. L. IX. C. XXXVI.

Crabeas adhibitum (jam vero, inventa & in artem tintoriam  
 magno cum applausu introducta Coccinella & granis Kermes,  
 derelictum) legimus. Hisce autem & sanguinis & purpurei succi  
 exemplis exceptis, cui similes guttulas e fronte *Limacum* pun-  
 etata emanare asseverat LISTER, vix ullum hucusque novimus  
 in vermium intrinseca fabrica ruboris indicium, nisi rubicun-  
 dum, quo interdum pervarie illita cernuntur calcarea Vermium  
 incrustatorum, a proprio exudante succo concreta & suopte  
 Marte mirabiliter constructa, stirpium in *Zoophytorum* ordine  
 speciem mentientia, in Testaceorum vero familiis valvatas Con-  
 chas & gyratas Cochleas efformantia domicilia, respexerimus  
 fucum. Rutilant scil. ex illis paucissime *Pennatalae*, *Sertula-*  
*riae*, *Corallinae*, *Spongiae*, *Isides* & plurimae *Gorgonae*, immo  
 ex *Lithophytis* unica *Tubipora*; in his autem versicoloribus  
 & ut plurimum rubicundis picturis genera resplendent facile  
 omnia. — Neque alia *Insectis*, rubro sanguine itidem casis,  
 concessa est ruboris ratio. Siquidem, praeter egregium suc-  
 cum coccineum & kermesinum, quem plures species Generis  
*Cocci* e *Rbyngotorum* ordine, in primis vero *C. Ilicis*, in quer-  
 cu coccifera Galliae, *C. Ulmi*, in ulmo campestris Europae,  
*C. Polonicus* in Scleranthi perennis aliarumque plantarum ra-  
 dicibus, & *C. Caeti*, in Cacto *Opuntia Americae* omnium co-  
 piolissime sese sustinentes, in abdominali receptaculo conge-  
 stum tenent & officinis nostris tintoriis ad probum colorem  
 purpureum, antiquorum purpura haud inferiorem, inducendum  
 offerunt, rara admodum immo rarissima in intestino Insectorum  
 sanguis & viscida pulpa hucusque detecta sunt rubicundae sub-  
 flantiae vestigia. Pertinent tamen huc sanguineae sic dictae  
 (olim prodigiis habita) pluviae, quarum maxime notabiles  
 sunt, quas prope urbem Galliae Aquas Sextias A.D. 1608, in  
 stuporem credulæ plebis incidisse memoriae prodit FEIRESCIUS,  
 quasque ex ingenti *Papilionum*, ærem pervolitantium, & gut-  
 tulas rubicundas in terram imbris instar dejicientium, exami-  
 ne productas suisce idem est Author; alia eiusmodi profluvio-  
 rum

erum Cl. MERETTI & III. REAUMURII ut prætereamus testimonia. Immo magnus SWAMMERDAM, qui accumulatisimos *Monoculorum pulicium* greges & ova, sanguinis grumos referentia, tanta copia stagna Lugdunensia Batavorum implevisse vidit, ut in sanguinem (quod vulgus etiam credidit) aqua appareret conversa, memoratam Monoculorum speciem rubida quadam illuvie oppletam & quasi cruentatam esse, jam dudum observavit. Cave tamen nativos succos cum adscitis & sorbendo arcesitis humoribus sanguineis, quos haud pauca Infecta sanguisuga ex. c. *Cimices*, *Culices*, *Pulices*, *Tabani*, *Pediculi*, *Acari*, plurimaque *Antliata*, quorum species singulas recensere longum esset, circumferunt, improvide commissas. Enitent de cetero Insectorum tegmina cataphracta, artusque & alæ tam crustaceæ quam membranaceæ, insperso pulvitulo vel squamulis diversimode coloratis & haud raro rubicundis, quæ Eleuteratorum in primis & Glosatorum membra mirabiliter condecorant. — Saniosa autem animalcula, summa intrinseci ruboris raritate & nobilitate notata, *Sanguinea* jam excipiunt (tanto perfectiora & validiora, quanto uberiori & particulis purpureis magis saturato sanguine instruta fuerint). *Animalia*. Insimum ex hisce gradum tenent, quæ frigido aquarum elemento vel saltem tenebrisiosis & algidis terræ latibus demandata sunt *Animalia*, *Pisces* scil. & *Amphibia*; vitalis enim, quem vasculis suis lente circumducent, simpliciori viscerum apparatu elaboratus, paucioribus que & per varias ambages conquirendis gasis oxygenii particulis imbutus, quininimo tenello tantum cerebri incitamento contactus succus, partibus eorum organicis non potest non segniorem & frigidorem inducere habitum & naturalem affectionem: quam etiam ob rem sanguis, ruboris sui dotes ad interna corporis instrumenta non nisi parce admodum traducere valet. Pallent igitur internæ corporis substantiae etiam musculosæ communiter, unico fere *Salmonum* (tanto fortiori quanto intus rubriori) genere paucissimisque *Amphibiis* exce-

ptis;

ptis; præcipuo rubore, quamdiu vivunt vel amisfa vita recentissimi sunt Pisces, Branchiis, quibus ærem pulmonum loco percolant & inhalant, interdumque, pedum vel remorum vices pensantibus, Pinnis, concesso. Externa vero squalentem cutem obtegentia scuta vel squamæ, rarius pigmento rubro, quasi natura splendorum suorum majestatem frigidis & abditis hisce animalibus parca manu concessam, dignioribus suis operibus reservare voluisse, conspicuntur infectæ. — Multo nobiliorem sortem attigerunt Animantia calido & particulis croris rubicundis instructissimo sanguine ditata; quemadmodum enim fabricam magis artificiosam & Pulmonum beneficio Cerebrique mysterio ornatam obtainuerunt, ita etiam nobiliores & alacriores sustinent facultates virtutesque, quarum indulsum comitem & fidum indicem adeo communiter agit dilutior vel intensior partium in primis internarum rubor, ut mirum sit, tam exiguo momento vitæ & vigoris animalis signum & documentum contineri. Ea tamen inter *Ovipara* & *Vivipara* hoc eodem respectu intercedit a diversa eamdem generationis & nutritionis ratione, procul dubio derivanda differentia, quod *Illorum* Musculi paulo lividiori & fulciori (in cicuri tamen genere, quod probe notandum, multo pallidiori quam in incorrupto ferino), *Horum* autem magis vel minus saturate rubicundo conspicui sint habitu. Quantum vero internæ fabricæ torositate eidemque respondentí purpureo ornatu *Mammalia* (ut plurimum pilis ferrugineis vel rufescensibus investita) prævaluerunt, tantum etiam externa pompa præfulgent pennigeri (dulci suo modulamine aures nostras non minus quam oculos multifario splendore mirabiliter per multentes) *Avium* greges. Corruscant in his roso in primis & coccineo, saepius variegato & interdum aurato amictu, *Phe-*  
*nicopteri*, *Paradiseæ*, *Pſittaci*, *Trocibili*, *Pavones*, *Columbæ* & infinitæ aliæ; superbiunt purpureis suis carunculis *Meleagrides*, *Pfasiani* & *Numidæ*, suisque superciliis puniceis *Tetraones*; perfringunt audacter & prehendunt obvias res proceris

ris suis rostris rubicundis *Alcedines*, *Anates*, plurimique  
alii volucres; incedunt insolenter pedibus suis rutilis permul-  
tae *Pice*, *Anseres* &c. & quis omnem ab insulo vel insperso  
Tyrio veneno provenientem persequi valet Avium magnifi-  
centiam. — Immo a peritis equitibus pastoribusque jam diu  
animadversa est eximia ruboris in re pecuaria præstantia &  
honos. Sie puniceos & spadiceos equos, licet mediocriter pa-  
stos, quod teretes sint, vivacissimi & maxime durabiles, lau-  
dant; sic boves ferruginei & badii, vegetiores & firmiores de-  
clarantur; sic canes venatici gilvi vel ex fusco rutili, sagacio-  
res, alacriores & pertinaciores judicantur; sic rufescentes capri  
procacitate eminent; sic galli coma aurantiaca & arrectis carun-  
culis incarnatis conspicui, apprime pugnaces, salaces & ca-  
nori numerantur; cum contra albescentes oves, aliaque rubo-  
re destituta animalia ob timiditatem suam & mollitiem notan-  
tur; ex quibus omnibus (ut cetera exempla taceamus) expe-  
rientialia confirmatis intelligitur, quanti momenti sit anima-  
lium rubor, quamque fidum majoris vel minoris firmitatis  
& agilitatis brutorum indicium.

#### §. IV.

Ad rubicundum vero partium humanæ machinæ habi-  
tum, si attentionem nostram flectere voluerimus, eundem non  
modo intimum cum incorrupto vitæ flore redolere commer-  
cium & arctissimum vinculum, verum etiam eximiam & pro-  
fus incomparabilem humanæ formæ venustatem & ornamen-  
tum conciliare fatebimur. Quo enim firmior fuerit fabricæ  
nostræ constitutio, quo salubrior victus & nutritio, quo soler-  
tior & placidior corporis exercitatio, quo major in omni ne-  
cessitatum & voluptatum genere fruendo temperantia & me-  
diocritas, quo floridior vegetiorque zetas & constantior sa-  
nitas; eo etiam intensiore & puriore rubore atque limpidiore  
flumine Sangvis, communis illa omnium vitalium actionum

scaturigo, quæ præclaras suas dotes ad universam organicam compagem, mirabili efficacitate extendit & transfundit, renitet. Splendent proinde artificiosissima motus instrumenta, Musculi, purpurea claritate; rutilant & subrubent viscera & vasa, tantum non omnia; candet cutis vere nativo, lenemque, mitem & floridum staturæ corporis inducente habitum, colore subrubicundo; genas vero purpureus in primis occupat color, tanto majoris pretii habendus, quod certum sit quam quod certissimum, naturalem humani vultus purpuram, sanitatis & vigoris corporis plerumque esse sociam, virtutumque & affectionum animi haud raro patentissimum quasi speculum & tabulam. Quemadmodum autem occidente Sole, rubescentes fugiunt & se subducunt radii, prius quam fuos corruscos colores explicaverit nova Aurora, irrevocabiles; ita etiam vitæ viribus & ministeriis, aut morbo, aut vita dissoluta, aut ingrata sensatione, aut senectute labefactatis vel perculsis, cito citius deflorescit & in lividum tristemque pallorem subito transit egregia, quæ humanam effigiem nativo suo splendore perludit, corporis fugax & caduca, numquam, nisi fractæ & collapsæ vires naturæ restauratic s beneficio reventur, redditura purpura. — Genuino vero purpurei coloris, in tota non solum organica natura, verum etiam in corporis humani tam interna quam externa fabrica, habitu & pretio generatim jam adumbrato, ad Ruboris Musculorum corporis nostri memorabilia, quæ nobis hac occasione ad expendendum præcipue præstituimus, paulo fusijs & exactius disquirienda atque exponenda nosinet conferimus.

## SECTIO POSTERIOR

*De Ruboris Musculorum varia indole, sede & origine.*

### §. I.

**Q**uandoquidem Musculosa corporis humani fabrica, præ certis

ceteris molibus & pulposis partibus, singularem, genuinam & vere propriam, fibris non minus quam falciculis altissime impressam, per totum fibrarum decursum & complexum æquabiliter effusam, & a rubida viscerum nonnullorum facie evidenter distinctam, ruboris rationem tuetur & inviolabili lege sustinet; permagni sane ad Historiam Musculorum rite explicandam interesse merito existimamus, intrinsecam illorum & substantia quasi coalitam rubedinem, quod ad suam indolem, proximam originem & veram sedem explorare & sigillatim proponere. Verlabitur autem prima nostra animadversio, in varia ruboris muscularum *indole* percensenda. Permultum namque abest, ut a prima fibrarum muscularium evolutione ad extremum usque corporis decrementum, per omnia vitæ stadia, in eodem tenore permaneat rubor, ut potius tot *vici*situdinibus, quot universa corporis conditio, quod ad diversitatem *ætatis, sexus, temperaturæ, vitæ generis & valetudinis* subiecta conspicitur, obnoxius sit. — In primigenio embryonis, in utero materno jam formati, statu, quo masculam refert mucosam, decolorem & fere pellucidam, vestigia coloris muscularum tanto minus apparent, quo certius sit, muscularam fabricam, utpote corculi & sanguinis natalibus posteriorem, vix prius quam tribus a prima conceptione mensibus, & quod excurrit, transactis, conspicuas strias (quæ tam in hisce suis initii pallidissimum colorem subluteum, sensim & gradatim, prout & uictura & sanguineus latex ceperit incrementa, magis declaratum & nascituro fœtu in dilute croceum habitum conversum præ se ferunt), explicare. In lucem vero edito fœtu & egregiis auræ vitalis donis ad sanguinem, nutritionis mysterio magis magisque aductum & nobilitatum, trajetis, nativus muscularum pallor annis pedetentim vergentibus commutatur; in infantili scilicet *ætate* subrubicundus evadens, in puerili rubellus, in pubertatis ingressu jam læte rubicundus, & in virili maturitatis statu tamdiu nitide purpureus, donec ingravescientibus annis fibræ rigescere,

scere, succorum meatus & conceptacula obliterari, musculi-  
que senio quasi consumti & exfucci a pristino splendore in  
siccum & crispatum pallorem lento gradu tandem degenerare  
incipiant. Humanam igitur florescendi & deflorescendi for-  
tem, communiter cum universo tam solidarum quam fluida-  
rum partium apparatu, per totum vitæ curriculum subit Mu-  
sculorum purpura, variis insuper pro diversa corporis consti-  
tutione & diversa vivendi ratione aberrationibus obnoxia.  
Tenerior scil. & gracilior sexus sequioris statura, mulieribus  
præcipue dignoris ordinis, propter molliorem educationem,  
tenuem & frivolum vestitum, delicatum victimum & ad agen-  
dum ac movendum segnitiem, maxime familiaris (quam & ideo  
effeminate vulgo dicimus), pallidiores musculos, quam vi-  
rilis fabrica, solidiori nutrimento, curationi corporis cultu &  
diligentiori animi & corporis exercitatione, mirum quantum  
excitata & firmata, conspicendas præbet. — Similiter in di-  
versis tam structuræ organicæ quam humorum & virium vitæ  
coionantibus & naturaliter ingenitis temperaturis, quas Tem-  
peramenta vocant, diversum ruboris observare datur habitum:  
in *Sanguineo* scil., cui fabrica robusta & succosa, affectio ve-  
rio provida, solens & stabilis, floride purpureum: in *Cholerico*,  
cui structura firmior quidem sed valde irritabilis, genius  
vero acutus, præceps & mutabilis, tantisper in rutilum ver-  
gentem: in *Melancholico*, cui constitutio corporis incitabilis  
& magis infirma, affectus & agendi ratio anxia, demissa &  
implicata, paulo rubidiorem: in *Pblegmatico*, langido & fri-  
gido, obtuso & lubenter inertis, ceteris pallidiorem — Neque  
minus ad ruborem musculorum vel augendum vel minuendum,  
generatim, ut pasim jam monuimus, valet diversa omnium  
rerum, quæ ad victimum, valetudinem & virium recreationem  
necessariæ & salutares habentur, affluentia, delectus & fru-  
endi ratio. Quo enim fidelius experientiam suam & notissima  
præcepta Diætetica quisque consuluerit iisdemque obtempe-  
raverit, eo etiam magis salva manet & incorrupta sanitas,  
tan-

tantoque floridior & lœtior, pro varia uniuscujusque constitutione & naturali affectione, muscularum purpura. — Miserum igitur non est, morbosas causas & vitia, quæ vires corporis infringunt vel intendunt, humores exhauiunt, pervertunt vel accumulant, organicamque fabriam dissolvunt vel constringunt, varias Musculorum rubori inferre (saltem leviores) degenerationes. Pallescunt nempe & quasi squalent musculi in affectibus corporis imprimis *Cacheticis*, scil. *Hydropicis*, *Rachiticis*, *Chloroticis*, *Hecticis* &c. pariter ac *Paralyticis* & *Prostathiis* &c.; livescunt in *putridis* & *malignis Febribus*, imprimis vero in *Scorbuto*, *Sugillationibus* &c.; flavescunt in *Pbrenitide*, *Contracturis*, *Ictero* & *bilio-*  
sis morbis; intensorem & floride saturatum inducent colorem in *Plethora*, *Inflammationibus* & *Febribus acutis*, quæ qui-  
dem omnia, a Cel. MORGAGNI (c) SCHALLHAMMER d) aliisque  
confirmata, abunde testantur, rubicundum Musculorum habi-  
tum æque ac sanguinis & organicarum partium temperaturam,  
esse mutabilem. — Quæ tandem inter unius ejusdemque corpo-  
ris, qua ruboris proportionem inter se comparatos, muscularos,  
deprehenditur diversitas, tota quanta a varia eorum densitate  
& fibrarum aliter & aliter disposita congerie & implicatione  
dependet. Hinc Cordis caro, quæ omnium est durissima, in-  
tricatissimisque fibrillis artificioissime contexta & compacta;  
vel maxime livet; hinc densioribus fibris coagmentata lingva,  
fulciorem refert colorem; hinc toroli artuum musculi satu-  
ratiore, cutanei autem, capitis, & plurimi trunci in tenuiora  
strata expansi, dilutiore rubore renitent; hinc musculosæ vi-  
scerum, secundum variam fibrarum tenuitatem & raritatem,  
varie pallescunt tunicae, rubicundiores in stomacho & vesica,  
pallidæ & fere decolores in ventriculo & intestinis, tantoque  
ma-

c) *De Causis & Sedibus Morborum, variis locis;*

d) cfr. *Archiv für die Physiologie von REIL.* IV B. 2 f. p. 222.

magis in arteriis (si musculosae stirpis habendæ sunt) dealbatae; non quod fibræ elementares in se spectatæ, in singulo muscularum genere, vario ruboris gradu absolute sint imbutæ, sed quod numerosæ, perlucidae & congestæ fibræ, secundum leges refractionis radiorum lucis, multo magis quam ræfactæ, saturatiore colore soleant resplendere.

## §. II.

Vario ruboris Muscularorum habitu & potioribus eiusdem gradibus succinete, in præcedentibus, consideratis & invicem comparatis, veram originem & genuinam *sedem* coloris usque adeo variabilis & memorabilis, inquirere & probabilibus falltem argumentis adstruere, jam convenit. In qua difficulti & ab Auctoriis celebratissimi nominis, obiter tantum & valde breviter strictimque proposita quæstione solvenda, omnem nostram fidei faciundæ spem & saltim propriam persuationem Physicis & Chemicis, quæ in naturæ scrutatione tutissimum aperiunt portum & refugium, experimentis fundamenti loco superstruere conabimur. Notissimas autem & jamdiu tritis Physiologorum opiniones, de genuino ruboris principio in antecesum breviter perstringere refert. Conveniunt fere omnes in eo, quod a cruento sanguinis ortum suum ducat rubedo muscularum; sed in eodem explicando tripliam differunt. GALENUS &, qui ab eius partibus steterunt, antiquiores corporis humani Physici, in sanguinis tendineas fibras circumfundente coagulo, a quo pulpam proprie carnosam pronasci cederunt, ruboris originem quæsiverunt; hoc autem commentum dies & penitior fabricæ muscularis investigatio, jam pridem delevit. TAUVRY &, qui muscularum structuram mere vasculosam vel vesiculosam declararunt, innumeri Auctores, a sanguine in tubulosas fibras infuso indeque translucente, purpureum muscularum colorem, lepide sane & inepte derivarunt;

runt; ea enim est (*e*) fibrillarum elementarium subtilitas, ut globulorum crux in illas, ne cogitari quidem posse aditus. Perivit igitur sibi BOERHAAVE (*f*) intima muscularum stamina a nervorum haudquam rubicunda propagine deducens, fasciculos, quinimmo fibras, sanguineum suum, a vasculo, cellulosa fibrarum vincula perreptante & ipsas fibras obvolvente reticulo, colorem mutuari; quae quidem explicatio (ut pote cui injectiones Ruyshianæ & macerationes Stenonianæ & Baglivianæ, vasculis irretitam & complicatam fibrarum texturam commonstrantes, permultum favere videbantur), ab Illustr. HALLERO, (*g*) ad fibras eius solidas & irritabiles rubefacientes, mox accommodata, communem omnium Eius auctoritate acquiescentium Physiologorum & inter illos Cel. MARIHERR, CALDANI, BLUMENBACH, SOEMMERRING aliorumque recentiorum, astenum atque laudem sibi comparavit. Verum enim vero, quo minus speciosam hanc & unanimiter fere receptam, probatam habeamus ruboris muscularum interpretationem, causæ obstant gravissimæ Plexus enim vasculosus, qui muscularum penetralia ingreditur & fibras absolute omnes tortuose circumpleteatur, tantum absit ut a solis sanguineis meatibus constituatur, ut potius valde multiplici & vario, nervulis intertexto, contextus sit vasorum genere. Immiscentur scil. maximam partem, nutrientia, lymphaticum e sanguine elicium succum ad intimas cellulas transferentia, vascula; implicantur vasa (siride sic dicta) lymphatica, quæ resorptum a nutritione residuum reducunt laticem; quibus angustissimis canaliculis cum tanta insit exilitas, ut in tranquillo et imper-

tur.

*e)* — est. de hoc & aliis fabricam muscularum spectantibus momentis, Disert. Grad. eod. Præf. ab Exp. Licentjato LUTE nuperime editam, *De intrinseca muscularum corporis humani fabrica*.

*f)* — *Præl. Acad. cura HALLERI T. 3. p. 377.*

*g)* *Elem. Phys. T. IV. p. 419 &c.*

turbato sanguinis motu, globulos cruentis vix ac ne vix quidem excipere valeant, qua quidem ratione aequabilis fibrarum rubor a vasorum minimorum, sanguinem naturaliter respente, plexu derivare conveniat, intelligere haud possumus. Interim tamen negandum non est, ultimos arteriolarum, in vascula nutrientia vel venulas abeuntes, furculos, praedictos pertinere plexus; tenendum modo, rubros ramulos in hoc reticulo admodum esse paucos & ad ruborem fibrillis inducendum insufficientes. Neque ab injectionibus, quae liquidam materiam in vascula usque decolora violenter intorquent, vel a macerationibus, tam sanguineos quam lymphaticos succos elutriantibus, valet argumentatio. Praeterea objicimus, purpureum fibrarum habitum valde esse, ut supra jam monuimus, varabilem & in tenuioribus tunicis fere dealbatum, quamvis eadem vasculosa fabrica fibris muscularibus, tantum non omnibus, procul dubio immutabiliter competit. Pallent musculi infantum, vasculis confertissimis & adultiori aetate sensim oblittrandis stipati; alblicant musculi Piscium, & Avium Cicerum, Gallinæ, Gallopavonis &c. licet vasculis sanguineis sint intertexti. Immo varios a sanguineo diversissimos colores praefereunt vasculosissima viscera: lividum scil. Pulmones, cineraceum substantia Cerebri corticalis, fuscum Hepar, Lien & Renes, pallidum, Glandulæ & Intestina; quorum tamen omnium ramosissima reticula, notissimo siphunculi apparatu (quem admodum & in inflammationibus, ab ipsa irritata natura, infundi solent) injicere licuit. Quid! quod musculi, fugato jamjam omni nativo cutis, intestinalorum, aliarumque internarum partium, a sanguineorum vasorum pelluciditate pronato splendore, floridam suam purpuram adhuc post mortem sustineant; quæ quidem momenta, rite aestimata, proprium & intestinalum fibrillarum muscularium ruborem confirmant, & propterea celebrem auctorum interpretandi subvertunt methodum.

## §. III.

Cum vero a pellucente vasorum sanguine, ruboris muscularum originem repetere non permittant haud contemnendae, quibus vulgarem opinionem convellere annisi sumus, animadversiones; an fibrillæ musculares in proprio & intrinseco gremio particulas ad tingendos musculos idoneas foveant, &, si hoc probari poslit, unde proveniant & cuius sint indolis, superest ad disquirendum. Prætulit quidem nobis in hac ardua & diffcili quæstione facem, arguta & sagaciter excogita theoria, quam nuper protulit, ingenio & subtilitate impensis chemica plenus, Cel. ACKERMANN (*b*); in vario autem elementorum, adyta muscularum ineuntium, ad ruborem permutandum effectu explicando, genuino ruboris stamine, quod tamen admisit, definiendo supersedens, & copiosus & parcus nimis subtilitit. Qua vero ratione calculos suos subduxerit, priusquam rei cardinem aggredianur, breviter percensere jutat. Vulgari nempe eductus observatione, recentes animalium, cute & cellulosis integumentis nudatos & æri atmosphærico per aliquot horulas expositos, muscularis, nitidiorem & vividiorem contrahere ruborem, plura cum muscularis, ad variam ruboris, in varia elementorum, quæ secundum regulas artis elicuit, æreorum admissione, rationem eruendam, instituta experimenta chemica in penitiorem vocavit censuram. In hoc autem negotio, celebris vitræ campanæ apparatus, cui pro luctu aliud atque aliud gasis genus, recenti carnis frusto supposito, perite ingessit, Viro acutissimo maxime arrisit, & tanquam ad propositum scopum ducens complacuit. Campanæ vero jam adornata & ad impendentem externum ærem elasticum excludendum, mox aut aquis, aut liquido argento immersa, carnis frustulum, campanæ, ære olim sic dicto dephlogisti-

C

cato,

*b) Versuch einer physischen Darstellung der lebenskräftige organisierte Körper.* Francf. 1797. I B. C. VII. p. 212 sequ.

cato, quem & vitalem atque nunc gas oxygenium vocant, repletæ subjectum & brevi tempore detentum, multo floridiorum & saturatiorem attigitse ruborem, quam in atmosphærico aëre acquirere solet, comperit. Gase vero hydrogenio & azotico in campanam alternis vicibus immisso, manifeste defloruit & magis obscuram induxit quasi opacitatem substrata caro. Suffusum autem gas acidum carbonicum, rubidum & multo nigrore inussum, suspenso carnis frustulo, conciliavit habbum (i). Porro illam in hisce suis experimentis observavit differentiam, quod columna aquæ, in prædicta, aqueo repaguo præclusa, campana, vitali aëre a carne mirum quantum resorpto & imminuto, in notabiliorum adscenderet altitudinem; in campana autem liquido argento demersa & obfessa maxime memorabilem ætheris vitalis residui, ab adjuncto gase acido carbonico exortam, corruptionem offendiceret; unde pronam deduxit conclusionem, aëris vitalis oxygenicam, a copioso musculi carbonico elemento, ad normam attractionis electivæ, surreptam & musculoſæ substantiæ impressam partem, gasiforme eiusdem carbonici acidum, (quod propterea e musculola pulpa extricatum, remanentem aërem vitalem innatavit & contaminavit) profligasse. Hisce igitur Auctori valde blandientibus, ne dicam imponentibus munitus observationibus, intensem & floridum ruboris habitum, ab oxygenio mulculis oblato, fuscum autem & nigricantem, a mulculis innato & particulis oxygenicis destituto principio carbonico, derivandum esse, cogere tanto minus dubitat, quo magis, ad firmandam speciosam.

---

i) propria apponere lubet Cel. Auctoris verba l. c. p. 214. — Auch lehren die Beobachtungen, dass, Wenn man das Muschelfleisch unter einer gläsernen Glocke, welche mit Lebensluft angefüllt und durch Wasser oder Quecksilber gesperrt ist, legt, dasselbe in kürzerer Zeit eine noch gefärbttere hellrote Farbe erhält, als in der atmosphärischen Luft; dass hingegen in andern Luftparten, z. B. in Wasserstoffgas oder in Stickgas die rote Farbe dunkler, und im Kohlensäuregas ganz schwarzbraun werde.

osam motus muscularis a se præstructam theoriam, genuinam scilicet motus muscularis causam, in rapida oxyg-nii cum intrinseco muscularum carbonico coniunctione, & exinde pronata acidi carbonici, quod cellulas muscularum elementares ad expansionem, & fibras ad consequentem contractionem impelleret, evlutione querendam esse, hæc sua Hypothesis conduceret. Supererat tantum, ut carbonii & in primis oxygenii ortum & largiorem accesum in musculos evolveret; quod quidem hac captiosa explicatum voluit deduictione. Carbonium scil., ab alimentis nostris, quæ hisce non minus quam azoticas particulis abundare, neminem Recentiorum investigationum Cl. TROMMSDORFF, AUTENRIETH &c. gnarum fugere posuit, oriundum, in musculosam pulpm cum nutritio succo satis superque ingredi, in confessu esse existimat. Perpendens autem, Oxygenicas vitalis aëris particulas, quæ vel in pulmonibus sub inspiratione a sangvine imbibuntur, vel cum cibo & potu in chyli officinam eiusque ad sangvineum torrentem propagatos rivulos traducuntur, vel etiam avide inhalantibus oculis cutaneis resorptæ in sytema lymphaticum trahicuntur (k), magna licet copia humores corporis ineuntes, in omnes tamen organicas partes, ad earundem actiones excitandas & innatos succos nobilitandos, longius latiusque dispergi, quam ut tanto tamque repente cumulo, quanto ad motum, ex eius mente, extorquendum opus eset, sola vasorum nutritientium ope muscularis affluenter; novum & locupletissimum in cerebro, a sangvine miraculosa secretionis via ibidem cum calorico coniunctim coacervandum, animi imperio & dispensatione subjectum, & omnigena virtutem vitalium virtute & efficacitate munitum, recondidit oxygenii pentum. Patentissimam

k) — egregias de æteris vitalis vario accessu observationes Cl. TROMMSDORFF in *Systematisches handbuch der gesammten Chemie, & Cel. AUTENRIETH in handbuch der empirischen menschlichen Physiologie* recenset AUGUSTIN in *neuesten Entdeckungen*, T. IV. p. 13.

igitur & directam, ab excogitato hoc ætheris vitalis prompuario, ad penetrales muscularum recessus, viam quasi regiam per nerveos funiculos, quorum observantissimo ministerio laudatum oxygenium una cum calorico principio, tam ad motum expromendum, quam ad ruborem accendendum & ornandum, effuse in musculos invaderet, mira persvassione adstruxit. Veremur autem, nostrum si interponere liceat qualecunque iudicium, ne forte exuberantem ingenii frugem, redundantem præceptorum Chemicorum (cui apprime & supra modum favere videtur seculi currentis genius) usurpationem, & præfaciem ex præsumtis principiis ad ingentem conclusionum struem adscensum sapiat & redoleat concinna quidem & speciosa, sed spumeis quasi argumentationum (1) fluctibus supernatans conjectura. Nosmet igitur quamvis non lateat, vitale nostrum pabulum aëreum universæ naturæ communem largiri: vitæ & salutis somitem & incitabulum; quamvis veneremur egregiam scientiæ Analyticæ lucernam, quæ tot recondita aperuit & illustravit naturæ mysteria; quamvis laudabiles occulta animæ naturæ claustra perfringendi conatus, suo haudquaque defraudemus pretio; prudenter tamen & præcaute a Physicarum virium indole, ad animatas & mirabilibus organis instructas facultates, quæ in sensus nostros nunquam cadere poslunt, colligendum esse, gravissimæ nobis svadent considerationes. Quis enim a Cerebri tam imperscrutabiliter artificio tamque in reliqua natura inaudito & inimitabili apparatu, distinctissimam & tam animali genio quam medullari fabricæ congruam non exspectaret secretionem? quis in hac augusta animi fede chemicam, qua vitalis aër (proprio suo visceri Pulmonibus scil. ultro oblatus) a sangvine per tantas ambages organicas denuo secederet, explicare posset operationem? quis un.

D. l. c. p. 157. — ubi seriem argumentorum sequenti claudit asserfo: also muss in dem Gehirn der Lebens æther aus dem Blute abgesondert werden.

unquam in cerebro & Nervis, oxygenii vestigia vidi vel videbit? quis summam & exquisitissimam, ad cerebrum procul dubio propulsam, nutrimenti concoctissimi essentiam, ad elementares particulas oxygenicas, in tota natura maxime obvias, humanaque arte facile eruendas, reducere auderet? quis animalem machinam & naturam, hactenus cognitis Physicis legibus adeo absolute subiectam, ut ad motum excitandum, praeter oxygenium, nullum existeret stimuli genus, nulla animato corpori competenter nobilior prærogativa, jure contendere posset? quis gali oxygenio, quod in omnes substantias, in primis animales, mirabiliter penetrabile se diffundit, incomparabilem sese expandendi virtutem in Cerebro ita ademptam crederet, ut intia fibrillarum medullarium cerebri & nervorum tractus & cancellos cohibitum, solis animi impulsibus & designationibus sese accommodaret? quis tandem omnium partium dignissimam, cerebrum scil. & nervos, ab imperatorio machinæ, quo inclarent, gubernaculo & ministerio ad futilem colorati muscularum (quantumvis generosi) elementi carbonici amplexum dejicere, iniquum non judicaret? Absit tamen a nobis, ut eximiam aeris vitalis eiusque oxygenii, in tota natura desideratissimam, in humana vero machina efficacissimam virtutem & dignitatem, minoris faciamus momenti; agnoscimus potius summam ejusdem, in intima multigenarum, & in his, tam nutrientium & formaticium, quam tingentium particularum permixtione & fluiditate sublevanda & perficienda, in calore animali distribuendo, in plastico & sic dicto fibroso fangvinis elemento lubigendo & organicis partibus aut fingenidis aut resarcientis agglutinando, in ferreis fangvinis particulis oxydandis, in organica fabrica excitanda & irritabili vi insinuanda, in variis corporis internis actionibus accendendis, & quæ sunt ceteræ a Cel. HILDEBRANDT, (m) AUTENRIETH, TROMMS-

TROMM-DORFF (<sup>n</sup>), PARMENTIER & DEZEUX (<sup>o</sup>), &c. confirmatae virtutes, quas persequi jam non vacat, vim & auctoritatem, eamque habens testislimam. — Quodli igitur Cerebro & Nervis propria sua, in qua incomprehensibilis animalis naturae præstantia præcipue delitesceret, indita sit agendi ratio; si omnem suam, quantum novius, vim & effectum in sanguineum flumen in primis effundat celebratum oxygenium gas; si idem ille sanguineus latex, prima & suprema omnium organicarum partium & affectionum, a nutritione oblata (& in his tam musculoſe pulpæ, quam purpurei coloris) elementa, quæ ad structuram accommodate, præ ceteris partibus, fibris muscularibus via humida instillantur, in se & sua natura adeo obsolete contineat, ut vix quidquam in musculis sit, quod non antea fuerit in sanguine; nullas sane, ad ruborem musculis conciliandum, directas & peculiares oxygenio tribuere possumus partes alias, quam quas communiter in toto sanguine concoquendo, rubedinisque eiusdem particulis digerendis & diluendis præciare sustinet. Hinc e frigida sua & oxygenio neutiquam supra modum aliorum animalculorum abundante sanie, (ut in priori fact. commemoravimus) succum egregium purpureum educunt *Conchylia*, coccineum *Cocci*, absque ulla alia rubentium staminum, quam quæ humoribus inconspicue innatæ, secretionis artificio elicienda, copia. — Hinc varie rutilantem musculis suis inducunt habitum *Salmones*, nec alii Pisces, quamvis in vasto aquarum gurgite omnibus Piscibus eadem oxygenii non nisi parcior copia suppeditat. Hinc Aves, licet auras oxygenio ditatisimas non tam pervolent quam iisdem quali vescantur, musculos tamen ut plurimum non nisi in artibus fuscos & pallide rutilos, in pectoralis autem regione albidiiores, exhibent. Hinc tota ruboris in

<sup>n</sup>) ibid. T. IV. p. 13.

<sup>o</sup>) *Archiv von Reil* T. I. fl. 1. p. 76. fl. 2. p. 3 &c.

in vita nostra ratio, ut brevi complectamur exemplo, statu-  
 ram quasi refert aurariam, in qua rubor muscularum & san-  
 gvinis saturaque temperies geminam adæquant lancem. -- Quod  
 autem ad æris & inprimis gasis oxygenii ruborem muscularum  
 intendendi virtutem tantopere prædicatam attinet, vile  
 admodum & forte nullum, ad genuinam vivi & nativi colo-  
 ris muscularum causam enodandam, experimenta, quæ huic  
 spectant, utcunque fida, momentum conferre videntur. Per-  
 multi enim sunt, salini in primis generis, acrores, qui mu-  
 sculis admoti, ruborem magis vel minus immutare solent.  
 Eminent in hisce *nitrum*; tantum vero abest, ut ruborem re-  
 vera augeat & saturatiorem reddat, ut potius paulo dilutio-  
 rem & nitidiorem vividioremque muscularis inducat habitum.  
 Multo plus ad firmandum & intendendum ruborem confert  
*Sal Commune* & *Alumen*; immo mitiora acida tam vegetabilia  
 quam mineralia, quin etiam alcalia, ad colorem muscularum  
 convertendum haud parum valere, docent experimenta; in qui-  
 bus tamen omnibus, salium acidorumque & ipsius oxygenii,  
 nudatam musculari superficiem constringendi & compingendi,  
 inter causas immutati coloris, haudquaquam reticenda est  
 vis. Quam vero ineptum esset & importunum, naturæ, tan-  
 tas in iniuitabili & ruboris principiis ornatisimo sanguine  
 eiusque progenie Musculari fabrica divitias redarguenti, si-  
 culnea splendoris ideo imputare adminicula, quod nostris ex-  
 perimentis convenire videantur; quam floridam spectandam  
 sicut musculus vegeti & bene nutriti corporis purpuram; ex-  
 stincta vero vita, langventibus rubicundis succis, torpente &  
 collabente interna structura, quam fluxam & instabilem ab ad-  
 moto oxygenio vel quacunque arte sublevatam elegantiam.  
 Livet & nigrescit membrum corporis fulminis ictu tactum,  
 cito citius, si vita salva manserit, rursus erubescens; sanguinem  
 autem, verisimilam illam ruboris animalis fodinam, ab  
 immisso electrico & artificiose parato igne, seco nigrore in-  
 fuscatum, ne minimum quidem, ab oxygenio copiosissime im-  
 mixte.

mixto & diutissime circumfuso, ruboris restituti vestigium exhibere, egregia Cl. ARCHER (*p*) experimenta confirmant. Quinimmo omnes naturæ organicæ rubicundi splendores testantur, quam sint a sua vita & interna structura inseparabiles. Sic pulcherrimi flores purpurei & rosacei, quamdiu vivis suis succis & interna structura fruuntur, lætissime rident ipsiusque Solis, cui sua decora occulto sensu lubenter obvertunt, assensum quasi provocant; decerpti vero, vel propter negatam nutritionem emortui, mox in eadem oxygenii temperie, qua nuperrime floruerunt, flaccescunt & pallefcunt. Sic purpureæ, quas in abstruso pelago expandunt Pisces, branchiæ, elapsa vita pristinum cito amittunt splendorem, quamvis in æreum, particulis oxygenii aqua multo abundantiorem, transferantur. Sic Avium quoque ernamenta, torpente viva fabrica, fugacia sunt. Plura vero exempla proferre non opus, cum in eodem oxygenii affluxu, qua stabilitatem, maxime varius sit partium tam internarum quam externarum humani corporis habitus. Pallentibus scil. ceteris partibus fere omnibus, nativum in musculis diutissime subsidet decus, structuræ eorumdem usque adeo accommodatum, ut in tota organica natura vix occurrat præstantius ruboris, tam ad sanguinem (verum rubentium atomorum fontem) quam internam organi structuram (fidum eorumdem retinaculum), relati documentum. Neque tandem reticendum existimamus, notissimam æris & in primis oxygenii, coloratos pannos sub depositis, candefaciendi virtutem, satis superque testari, colores, & in his purpureum, nisi perita tam pigmenti quam panni tingendi præparatione altius & tenacius impressus fuerit color, valde esse fugaces. Omnis igitur, tam naturalis quam factitii ruboris splendor & stabilitas, a rubrorum elementorum deleitu, tingendarum partium textura, & apposita coloratos atomos iisdem insigendi ratione, tota quanta pendere videtur.

§. IV.

## §. IV.

Ne vero Ruboris Musculorum sedem & originem, proprietariis rationibus, in fabrica & succis eorumdem posuisse videamus, & Chemica Musculorum Analyti (q), quæ, ut antehac declaravimus, in Physica corporum naturalium indagine, certissimum ducem & auspicem nobis præbet firmum, quo nostra innitatur interpretatio, fulcrum & columnen repetere attinet. Quas igitur caro suis membranis, adipe majoribusque valvis soluta, & chemica methodo tam humida quam secca investigata, exhibeat partes, breviter illi istimque jam commemorare licebit. Aqua frigida si bene abluitur musculosus torus, & mox consitus & disiectus, repetitis loturis & subactionibus in eodem conquisatur & abstergitur lixivio, & fibroso & celluloso complexu qua maximam partem divelluntur & extrahuntur humores, quibus spongiosa pulpa naturaliter irrigua cernitur, tam sanguinei quam lymphatici, fibrosa jam elota, suis tamen vasculis & nervulis adhuc referata, substantia candicante & decolore. Quod autem hac diligentius obtinetur musculi elutriatione, lixivium, faniem vel aquam cruore commixtam refert & emulatur; cogitur nempe in coagulum a calore intenso, eliminat fibrosi principii portiunculam & rufo-fuscum, coloratis sanguinis particulis haud absimilem, sensim deponit pulvisculum. Succedente paulatim evaporacione, pelliculae albuminosæ supernant; ipsa aqua infuscatur, & qua saporem acrecit, quo magis aquosa illuvies a calore diffunditur, gelatinosam refrigerando inducens indolem. Omni autem madore usque ad siccum profugato, residuum silit massulam rufam, quæ qua partem in spiritu vini rectificatissimo

D

(al-

q) Qua presentem opellam ornare contigit, fidem Musculorum, & delectissimis fontibus & propria experientia deductam, Analysis Scientissimo amico, Col. D:no Chem. Prof. JOH. GADOLIN acceptam gratissima mente refert Praes.

(alcohole) solvitur, & qua aliam partem in aqua. Constituit autem pars in Alcohole solubilis, materiam sic dictam extractivam, saporis plenissimam, & procul dubio carnosæ pulpa propria & genuinam. Quodsi vero musculosa frigido lixivio elota & dealbata pulpa, in ebulliente aqua suspensa tenetur, major adhuc albuminosi elementi educitur copia, quæ ab igneo fervore coagulatur, globulis nonnullis oleolis aquæ supernatantibus. Jam vero a se invicem secedere incipiunt fibræ musculares, ruddori celluloso & vasculis irretito plexu interea in fluorem resoluto, qui defervescens gelatinæ speciem suscepit; desuper in hac carnis decoctione, materia extractivæ indolis detegitur, quæ concentrata colore obscuriore imbutitur. Fibrolum autem, adhucdum superstes, tomentum, procul ut ulteriorem in aqueo latice admitteret solutionem, magis magisque rigidiorem & duriorem in diuturniori concoctione induit habitum; neque ullum lingvæ saporem imprimit, quo, pariter atque cineraceo suo colore, cum parte sanguinis plastica & fibrosa, a qua proinde suos natales deducere certio constat, exacte convenit; exsiccatum vero durescit, ab acidis subleßioribus facile solvendum, vi autem ignis expositum, magnam copiam carbonatis ammoniacæ, una cum oleo fetido producit, & simul abundans expromit gas azoticum, quando dilutiōri admovetur & subigitur acido nitrico; quo peracto, qua partem transit in oleum citrino-flavi coloris, quod liquori, vestigia acidi oxalici sensim redarguent, supernatat. In haec autem, ad nostrum hac occasione institutum accommodanda analyticā investigationē, cum nobis in primis incumbat, ipsissima purpurei muscularum coloris stamina exquirere & penitus cognoscere, summam in punicea substantia extractiva, quæ post evaporationem lixivij cruenti residua, in Alcohole solvitur, & attentionem & considerationem non possumus non defigere; singularem enim & haud ignobilem sibi vindicare videtur proprietatem, adeo ut ad fidem valde sit primum, eamdem in intimis cellulas fibrilloosas perfundentibus

fue-

succis, genuinam constituere tam ipsius succi, quam coloris rubicundi basin atque stamen. Hoc autem rudimentum extractivum exquisita puritate optime elicetur, si juscum e carne depurata excoctum, vel lixivium in quo omnes pulpaë musculosæ solubiles partes coquendo extrahuntur, leni igne ad melis spissitudinem evaporatur, posteaque affunditur Alcohol, qui extractivam illam substantiam mira amplectitur aviditate, gelatinosas vero partes vix ac ne vix quidem, & salinas particulas parum omnino dissolvere valet. Hinc colorem obscurum inducit Alcohol, qui si caute a reliquo spiso fluore transfusus separatim evaporetur, rufo-badiam exhibet substantiam, quæ acrem acutumque saporem linguae imprimit, naribusque proprium aromaticum odorem, qui, materia supra intensiorem ignis ardorem subasta, in fragrantiam usti sacchari transmutatur, admovet; aëri rursus exposita tantillam humiditatem attrahit. In hoc autem proflus memorabili principio muscularum colorato, genuina ruboris stamina distinctissima, quæ succis lymphaticis inhærent, delitescere, fidam nobis persuationem fuggerunt experimenta; quamvis nondum ad liquidum sit perductum, utrum celebrata hæc materia in muscularum succis sit naturaliter formata, an via sic dicta decompositionis vi ignis progignatur.

## §. V.

Nihil igitur ad substratam & manibus jam diutius contractatam telam pertexendam amplius restat, quam ut præstrudis tam Physicis quam Chemicis argumentis, justa trutina penitatis, nostram de *fede* & *origine* ruboris muscularum sententiam, quo fieri decet, brevitatis studio, explicando summam quasi manum levissimæ imponamus opellæ. Quod igitur ad *sedem* ruboris primo attinet, non possumus non in mentem revocare, quod alibi <sup>r)</sup> jam demonstratum habemus, intrinsecam

D 2

cam

---

<sup>r)</sup> Diss. citat. de Fabr. Musculor. Sect. III.

cam scil. muscularum fabricam cellulosam esse & subtilissimis fibimet invicem in fibrillarum modum annexis & concatenatis fluidissimæque lymphæ non tam pervijs quam vivide eadem perfusis, cellulis ita esse coagmentatam, ut artificiosissime contextas, omnem suam humiditatem, flexilitatem, limpiditatem & pulposum habitum a lymphatico, quo immadescunt, rore derivantes, referant spongias. Lymphaticos autem, qui spongiosos hosce pulpæ fibrosæ recessus vivide adeunt, in intimis vasorum augustiis a calore animali attenuatissimos & ab impellente vitali vasculorum vi infusos Succos, rubicunda continere & complecti stamina, celebres & tam antiquiorum quam in primis recentiorum scrutatorum industr a subiectæ muscularum mace rationes, quibus omnem e pulpa musculoſa ruborem tanto successu, ut candidissimum tantum remineret tomentum cellulosum, abluere licuit, certissime probant. Unde genuinam ruboris muscularis sedem in effusissimo spongiosa fabricæ madore expansam esse & disseminatam, inexpugnabili argumen to videtur confirmatum & exploratissimæ veritatis quasi sigillo consignatum. — Alteram vero, quæ verum ruboris ortum & rubri principii indolem spectat, quæstionem, multo difficilior em auctorumque dissidiis & vagis suffragiis subjectam deprehendimus. Qua tamen ratione hoc momentum ex mente nostra sit explicandum mox videbimus. Diversitatem colorum (quos quidem a calore ignis vel solis progenitos insulse dixit inexperta vetustas) a subtilissimis & elementaribus, corporibus tam fluidis quam solidis aut mechanice illitis vel immixtis, aut ab aliorum elementorum peracta transmutatione chemica productis, atomis, qui lucis radios diversa lege perfringunt & rejiciunt, pendere, neminem vel medioeri rerum Physicarum peritia instructum fugere potest. Particulæ itaque ad refundendos purpureos lucis radios accommodatae & a communi omnium humorum animalium fonte & officina, sanguine, oriundæ, si rubicundo renitebunt decore, lymphatico muscularum, necessario inesse & æquabiliter innatare debent

Iatici. Quare nec a re nostra alienum erit, genuina in sanguine primum evolvere ruboris elementa, & deinde, qua ratione e suo somite in muscularis fibrillas illabantur, probabiliter saltem illustrare. Primum quod attinet argumenti nodum, nihil habetur vulgatus, quam quod particulis ferreis fibi innatis ruborem suum debeat sanguis, sed veram indolem colorati principii, prolsus egregia indagine exposuerunt, Cel. PARMENTIER & DEYEUX (s). Observant scilicet peracuti & sagacissimi Viri, in humano sanguine novem diversa elementa, & in his, duo ruboris principia, particulias nempe ferreas & ab illis facile discernendum rubrum stamen peculiare, quod procul dubio cum colorata parte extractivæ, quam Analysis sanguinis expromit, substantiæ congruere videtur, occurrere. Ferreas particulias, haud inconspicua copia crux propriæ adscriptas & tenaciter adnatas, ab oxygenio vero pulmonali oxydatas, & a nativa, qua sanguinem abundare comperit, foda exactissime solutas & per omnem sanguinis massam diffusas, ad puniceum sanguini colorem inducendum tanto majoris pretii habendas declaravit, quo certius sit & experientia magis comprobatum, crux jacturas, & vitia ruborem violentia, remediis martialibus omnium felicissime resarciri, eoque etiam pacto inter globulorum crux elementa, haud insimum fibi vindicare locum. Quod vero sanguis suam ferruginem parum vel forte nequicquam ultra limites valorum rubrorum in musculari pulpam profundat, (antiquorum ut silentio prætereamus adhuc immaturas indagines GEOFFROY, NEUMAN &c.), definite urgent experimenta recentiorum Chemicorum, FOURCROY, ACKERMANN, PARMENTIER &c. qui in pulpa musculari ne minimum quidem terrei staminis detegere potuerunt

s) *Journal de Physique, de Chemie & d'Histoire Naturelle.* T. I.  
P. I. p. 372 — 435. Cfr. *Archiv der Physiol.* von REIN. T. I.  
ft. 2. p. 76. ft. 3. p. 3.

tunt vestigium (*t*); quamobrem observationem III. PERGMAN<sup>n</sup>, qua martialis terræ proportionem in musculis dimidiæ parti a partibus mille æquiparavit, experimento cum musculis forte sanguinis rubri illuvie obrutis, ex improviso instituto tribuendam esse existimamus. Alterum vero, quod dilucide in sanguine demonstravit PARMENTIER, haud sane ignobile stamen, adeo tenaciter albuminosæ sanguinis parti adhaerere vidit, ut nulla arte potuerit separari. Interim conspicua eiusdem elementi in varia ætate & corporis constitutione varietas, pariter atque intima cum albumina affinitas, & in aquoso latice apprime solubilis indoles, valde probabilem nobis suppeditant persvationem, generosas hasce purpureas partes sive sint immutabiliter a nutrimento progenitæ, sive ab aliarum partium amica conjunctione (quemadmodum ruberrimum minium a plumbō oxydato), pronatæ, genuinum ruboris muscularum elementum & quali pigmentum, a quo ruboris originem repetere nulli dubitamus, constituere. Superest tantum, ut modum & viam, structuræ muscularum accommodatam, qua intima fibrillarum adyta invadere possint, exploremus & indicemus. In hoc autem transitu, vascula nutrientia convenientissimam subministrare opportunitatem, ecquis est qui non videat? Recipiunt scil. & ad imas cellulas lymphaticum ab extremis arteriolarum rivulis elicatum, & albuminoso inprimis principio (utpote in nutritionis negotio desideratissimo) abundantanter imbutum, trajiciunt succum; eidemque albuminæ cum mira propinquitate addictum sit rubicundum hocce sanguinis sta-

*t)* Expressum afferre lubet asertum Cel. PARMENTIER: Wie dem auch seyn mag: so ist es doch sonderbar, dass das muskelfleisch, welches man durchaus für ein product des Bluts hält, nicht eine spur von diesem metall (Eisen) enthält, das doch in der flüssigkeit sich befindet, aus welcher es gebildet wird. REIL Archiv, I:1 B. 2 ff. p. 32.

*a)* Diss. Praef. MURRAY de Fascia lata. p. 10, not. \*

stamen, meatus & conceptacula nutritii succi, purpureum suum in musculos introducere & continere, intellectu videtur faciliuum & ad fidem promisum. Præterquam enim quod nostræ sententiae faveant observationes Phylicæ & experimeta Chemica jam dudum allata, permulta alia, haud proletariae considerationes, conspirant. Confirmat nempe, omnibus numeris absolutum, quod rubori muscularum cum incremento & flore sanguinis diversoque corporis habitu & firmitate intercedit, commercium; dimicant pro nobis: suffusiones & erubescen-  
tiae muscularum a violentiori motu: notissimus muscularum, repetitis sanguinis missionibus superveniens pallor: intensio & austertas saporis in carne rubris particulis satu-  
ratio, eiusdemque prævalens, cum siccata fuerit, soliditas & gravitas, & quæ sunt cetera. Immo augent probabilitatem, variae, rubri elementi, quæ in corpore humano nonnumquam occurunt, degenerationes & aberrationes. Sic purpurascentes muscularum succos interdum profligant & eliminant, ruboremque abolent adiposæ, quas *Adipoceras* vocant, muscularum redundantiae, quarum exempla maxime notabilia memorie pro-  
diderunt SCHALLHAMMER (*x*) & MARTIN (*y*); sic compaciores fibrarum muscularium densioresque, quæ tendinosa candidissimaque muscleis inducunt strata vel funiculos, constrict ones coloratam lympham excipere recusant; sic purpureus sanguinis fucus, a tuccis lymphaticis, per errorem loci, sub prima homuncionis formatione, in plexu celluloso subcutaneo varie delapsus, per omnem vitam rubicundos nævos, vel celebria ignis sic dicta signa effingit, alia ut propter loci angustiam si-  
lentio prætereamus momenta, quæ veram ruboris muscularum, a proprio coloris rubicundi stamine in sanguine, (forte haud aliter, atque nigrum vel fulcum, quod in mucoso cu-  
re-

*x)* Archiv v. REIL T. IV. fl. 2. p. 273.

*y)* — AUGUSTIN Neu. Entdeck. T. I. p. 103.

reticulo Aethiopum deponitur, quo<sup>d</sup>que Uveæ oculorum inster-  
nitur, pigmentum), parato, originem redarguant & common-  
strant. — Unam tamen adhuc, coronidis loco, subjungere oportet  
observationem; scilicet, particulas intentiorem vel dilutio-  
rem musculis ruborem ingerentes, absolutum quoddam & qualitatem  
principale musculorum elementum haudquaquam constituere;  
quandoquidem musculi animalium, sanguinem vel sanguinem frigi-  
dam circumferentium, ut plurimum albicantem sustinent habi-  
tum; unde etiam purpureum, quem natura animalibus tantum  
perfectioribus reservasse videtur, musculorum splendorem ad  
egregias eorumdem prærogativas pertinere, haud inani asse-  
quimur conjectura.

